HONOR NOVISSIMUS,

Spectabili & Consultissimo Viro,

DOMINO

JOHANNI Richtsteig/

in Vet. Civit. Thorun. Scabinorum Magistro Meritissimo,

Anno 1694. d. 12. Febr. piè denato, & d. 16. ejusd. ad Deiparæ solenniter humato,

exhibitus

à

Professoribus Gymnasii.



THORUNII,

Imprimebat Johannes Balthasar Bresler.


ASSUESCE ET PERSEVERA

Ffinis dilecte, fugis mortalia, fatum
Te rapit, & summâ collocat arce poli.
O Te felicem! Vicisti fortiter hostes,
Vicisti morbos, terribilemq; necem.
Jam regnas lætus cum Christo Victor, ovasqve
Jam rides Mundi noxia quæq; mali.
Uxorem, Socerum, Natos tua funera flentes,
Soletur placidis gratia dia modis.
Hæc eadem cunctos servet, regat, atq; gubernet,
Auxilium fractis lætitiamqve ferat.

συμπαθείας ergò
f. c.

P. Hofman D.

RICHTSTEIGI cineres fletu venerantur Amici.
Nos itidem facimus. Dignus honore Vir est.
Causidicus primùm, Scabinus deinde peritus,
Post Scabinorum gloria prima Patrum.

Egre-

Egregius Fautor Musarum, sæpius olim
Has dignabatur nectare & ambrosiâ.
Cum ferret viles habitatio nostra fenestras,
Ille novas promtâ mente manuq; dedit.
Humanus, prudens, jucundus & inde disertus,
Civibus optatus Civis & ipse fuit.
Illius idcirco vivet post funera Virtus,
Carminibus nostris vivet in Orbe diu.
Interea tristes Nati, dilecta Marita,
Et Consangvinei parcite flere Patrem.
Nam gravibus morbis Illum variisq; periclis
Eripuit mors hæc, innumerisq; malis.
Cœlitibus mixtus non jam fert debile corpus,
Sed fruitur CHRISTO, deliciisq; poli.
Vos Pater Omnipotens curet, tueatur & ornet,
Munifica Vobis det bona cuncta manu.
Magnificum servet Socerum, Venerabile Nomen
Illius instauret, canitiemq; juvet!

Condolens apposuit

Wenceslaus Johannides,
P. P.

N*Ondum detonuit furor implacabilis atræ*
Mortis, in AUSTENIAM *percitus usq; Domum.*
Vix sævo coiit diducta dolore cicatrix,
Quæq; manu tangi vulnera cruda timent:
Vulnera secretas animi populantia fibras,
Quæ nullus medica claudat hiulca manu:
Nasceris ecce recens lacerato e vulnere vulnus,
Et fluis e scisso nate dolore dolor.

Frigi-

Frigidus, heu! refugit mihi toto corpore sanguis,
Dum repeto clades, quas tulit ista Domus.
Mitior haut svetum redit bis Phœbus in orbem,
Quo cecidit tristi funere mersa Parens.
Excipit hoc funus fatum immansvetius, eheu!
Dixisses jugulum dilacerasse Domus.
Illa dies abeat Grajas orsura calendas,
Nullus eam cupiat mensis habere suam;
Si redeat, redeat piceis frontem obsita plumis,
Et gelidum densa grandine tunsa caput:
Quæ te surripuit nobis, Spectabilis AUSTEN,
Cara Scabinorum gemma decusqve Patrum.
Qui te non laudet, qui te non ploret ademptum,
Indignus qvestu, dum morietur, erit.
Verum qvid frustra vix proficientia perdo
Verba? qvid imprudens refrico vulnus edax?
Dum Fratrem *deflent* Frater, *mœstaqve* Sorores,
Singultu medios impediente sonos:
Tertius accedit letho RICHTSTEIGIUS, *augens*
Prægrandem luctum, tristitiamqve gravem.
Stet sua laus, constetqve Viro. mihi plura loquenti
Saucia mens planctu debita verba negat.
Te saltem, Deus alme, cui mortalia curæ,
Submissis precibus sollicitasse juvet:
Qui, semel ut justa sententia lata tabella est,
Nec prece, nec lacrymis, triste resolvis opus:
Parce Domum Austeniam tanta lacerare procella,
Ne trahat in casum naufraga puppis eam.
Erige confusam luctu, solare jacentem,
Fac videat lætos & sine nube dies.
Vos etiam, Conjux *svavi viduata marito,*
Et deserta pio pignora chara *Patre;*
Vos Sanctum repleat leni solamine Numen,
Sqvallentes lacrymis exhilaretqve genas.
Ast tibi, Richtsteigi, *Fautor post fata colende,*
Plurima contuleras qui benefacta mihi,
Quæ mihi semper erunt imis infixa medullis,
Dum mea consumptus deseret ossa vigor:

Grata

Grata mente pias refero cum fœnore grates,
Et precor, ut cœlo præmia digna feras.
Molliter oſſa cubent tua, molliter oſſa quieſcant,
Nec tua contemeret membra ſepulta dolor.
Æternis ſatiare bonis, terraqve ſuperſtes
Sit tua poſt fatum neſcia fama mori.

Συλλυπούμενος ſcr.

M. Johannes Sartorius.

SIc inceſſiſti non curvo tramite Richtſteig!
Juſtitiæ veteris gloria, ſplendor, amor.
Te Deus in recto deduxit tramite veri,
ornavitq; piis dotibus, atq; bonis.
In vita fueras civili *Semita recta,*
calcabas recti judiciiq; viam.
Hinc nec aberraſti poſt mortem tramite recto,
cœlica ſed recta tendis ad aſtra via.
O felix noſter Richtſteig/ fauſtusq; Viator!
qui bene confecit futilitatis iter.
Sed viduam mœſtam ſoletur Spiritus almus,
& læti fati proſperitate beet.

l. mq; ſcrib.

M. Martinus Böhm.

MVndus hic exilium eſt, eſt terqve qvaterqve beatus,
Qvi venit in patriam ad tecta beata poli.
Qvi venit in patriam, qvicqvid tenet orbis & unda
Spernit, dum fruitur plauſibus æthereis.
Gratulor ergo tibi, RICHTSTEIG, *ut membra qvietem*
Obtineant placidam pectore & ore precor.

Officii teſtandi ergo
f.

P. P.

[aul] [ater]

Nil adeò est sanctum, quod non Libitina profanet,
Aut altum quod non sternere possit ea.
Pontifices Summos, fumante avellit ab ara,
Crœsi lethæus tingit & ora liquor.
Tergeminos fratres victricibus abstulit armis,
Romani unius dextra animoq; feri.
Ter centum Fabii ad Cremeram cecidére sinistro
Fato, ad Thermopylas quot periére Viri?
Huic cedunt fasces Patrum, imperiosa securis,
Huic se submittunt aurea sceptra, Duces.
Sive pius fuerit, sive impius, illa rogali
Immittit flammæ, pulveribusq; tegit.
Victor cum victo, spissas damnatur ad umbras,
Cum Mario in tenebris, victe Jugurtha, jaces.
Regum mandatis poteris subducere collum,
Mortis sed debes subdere colla jugo.
Ad mortem properant, & primus & ultimus ordo,
Est ingrata via hæc cuiq; terenda tamen.
Vota movent Superos, poterunt data & æra movere
Mortales, Mortem vota nec æra movent.
Bartolus & Baldus, nullis eludere possunt
Technis insidias, Parca tremenda, tuas.
Provoco, Balde, tuum, *Protestor*, Bartole, frustra est,
Est levior pluma, *Replica*, Balbe, tua.
Sistere te debes, mox quando citabere lege
Mortis, nec poteris dicere: *Cras adero.*
Non tibi speranda est *Dilatio*, *Terminus alter*,
Dum spectat torvi Cymbula avara senis.
Excipias si fortè forum, compunget acutis
Te sannis, Regum conspuit illa forum.
Si posset quemquam servare peritia legum,
Hic Richtsteig Noster vivere debuerat.
Calluit ille Urbis pia jura artesq; forenses,
Sed nîl profuerunt cùm citat atra dies.
Impiger ad leges viridi tendebat ab ævo,
Par fuit hâc multis Urbis in arte viris.
Currebat quò illum furtim natura trahebat,
Et studii Legum gloria multa comes.

Numné

Numné animo quisquam poterit confingere majus,
Quàm fulcire probos, sternere lege malos.
Quàm linguas in judiciis confundere eorum,
Tempora qui vitæ Tisiphonæa trahunt.
Talis erat *Noster* quondam, quando aura favebat,
Defendit validis artibus, ore reos.
Jam licet ille foro cessit, stetq; ante tribunal
Judicis, ipse reus, vincet at ille tamen.
Illius est Christus Patronus, sustulit iram
Qui Patris solus, protegit ille reum.
Felix peccator, quem Christi lingua tuetur,
Non cadet is stygii victima cruda tori.
Tu quæ damna tori sentis, *benè nata Marita*,
Flere tori Socium desine ab exequiis.
Sed num flere potes? lacrymarum gurgite Matrem,
Fratrem, dum plangis, lacryma vix superest.

His studium & officium suum declaravit

Johannes Rezik,
P. P.

ME prior astra petis: quantò ô felicior es me!
Tu liber curis, ast ego adhuc teneor.
Gratulor Elysios campos, Affinis amande,
Gratulor Halcyonum nunc sine nube dies.

Condolens fec.

Georgius Lehmannus,
Gymn. Collega.